

αἰσχρόν τοι δηρὸν τε μένειν, κενεὸν τε νέεσθαι
Turpe erat emansisse diu, vacuumq; redire.

Quæ & plura alia, omnia nosse conveniens est, immò necessarium Rhetori, qui doceat, & futuro Oratori, qui in rem vertat, & causæ applicet, faciliùs ita & feliciùs persuasurus. Proinde nec levem eorum curam habet, quod & juxtà statim notat Philosophus, apud quos pudere solet. In quem præprimis censum illi veniunt, apud quos honorem atq; existimationem nostram factam testam esse cupimus quemadmodum apud Homerum, Hector verebatur Polydamentem, Cicero & optimates Romanos, præsertim verò Catonem & Pompejum, & ut ex sacris exempla huc referamus, Abner & Joabum, Amnon μ, licet extremè improbus, parentem Davidem, Adonias v Salomonem. Nolumus enim honorem nostrum violari apud illos, quibuscum de honore contendimus, quorum existimationem ac judicium non contemnimus, ut qui ætate sunt grandævâ quales sunt parentes, unde Æschinus apud Comicum ζ ad Mitionem patrem, Et me tui pudet, quod est, tui causâ, propter te, quem offendi (erat nempe idem Orestæ Euripideò γέροντος ὀμμάτων κόρος Φεύγοντι); qui pollent eruditione & prudentiâ, unde iterum Comicus, postquam dixerat putasse Cliniam, quod parens Menedemus ætate plus sciret & provideret ac propterea in Asiam ad regem militatum abiisset, subjecit Cbremetis judicium ο, illud inceptum esse animi pudentis signum & non instrenui; & quicumq; graves vitiorum sunt censores, unde populus Romanus nolebat spectare Lupercalia presente Catone: qui vitam nostram attentè observant, unde significanter Aristoteles, Δὲ τὸ ἰὸς αἰὲ παρρησιμένους μᾶλλον αἰσχύνοντα καὶ ἰὸς περσέχοντας αὐτοῖς, Δὲ τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς ἀμφοτέρω, quod ipsum Tibullus π attendit

At tu casta, precor, maneat sanctiq; pudoris
assideat custos sedula semper anus;

qui

- 1 Iliad. χ. v. 100. & lib. II. ad Attic. 5. & c. λ II. Samuel. 2. v. 22. μ ibid. c. 13.
v I. Reg. capp. 1. & 2. ζ Adelpb. act. IV. sc. 5. v. 49. ο Heavtont. act. I. sc. 1. v. 67. π lib. I. eleg. 3.

U 470.